



32
DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ
DE
DEFINIENDIS IVSTIS PARTIVM
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ
LIMITIBVS

PARS PRIOR
QVAM
D. O. M. A.

P 337
SECVNDVM CONSTITUTIONEM
FRIDERICIANAM

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
DIE XVIII FEBR. MDCCLXIV. INSTITVENDO
SVBMITTVNT

P R Æ S E S

WILHELM. ERNESTVS CHRISTIANI

PHIL. D. IVR. NAT. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD. ACAD.
BIBLIOTHECAR. ET PHILOSOPHORVM ORDINIS

H. T. DECANVS

ET
RESPONDENS

JACOBVS PODWISOZKI

VKRAMIA RVTHENVS.



KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.



Priusquam ad ipsam quam proposui quæstionem propius accedam, ut pauca quædam quæ & ad utilitatem & ad dignitatem argumenti ostendendam spectant, præmittam, necessarium omnino iudicavi. Facile enim mihi persuaderi patiar, fore, qui hoc argumentum tam leve ut peculiari quadam tractatione prorsus indignum sit, judicabunt. Non enim solum ex illorum sententia de distinctione partium philosophiæ practicæ iisque quæ in singulis earum pertractanda sunt abunde inter omnes constat, verum etiam perinde fere esse putat, quid in hac quid in illa philosophiæ practicæ parte exponatur, cum id tantum philosophiam explicantes agamus *ut* alii veritatum cognitione instruantur, prorsus autem pro indifferente habendum sit *ubi* veritas quædam doceatur, sive in systemate juris naturalis, sive in philosophia morali, sive in ea quæ politica vocatur disciplina. His autem tam generalem opponere possum responsionem eandem qua Cel. Hollmannus in simili argumento usus est, quam specialem quæ illum quem mihi proposui finem propius spectat. Ita vero ille: (*) „Scilicet eam potissimum „ob *causam* de definiendis scientiarum philosophicarum „limitibus sollicitum philosophum esse volumus, quo *singulis* istis disciplinis major & *certitudo & evidentia*, concietur

(*) Conf. ejus dissert. de definiendis justis scientiarum philosophicarum limitibus prior habita Gœttingæ d. XXI. Jul. MDCCXXXVI. respondente Joh. Christ. Claproth p. 18. sq.

„lietur majorque sic earundem & *utilitas*, & *necessitas* quo-
 „que, apud omnes elucescat.” Et paulo post: „Atque
 „etsi eodem omnino redire videri poterat, dum in philo-
 „sophia modo ipsa aliquid pertractetur, num ad hanc, an
 „ad aliam, sigillatim scientiam referatur, adeoque & omnem
 „in definiendis istis scientiarum istarum limitibus, sollicitu-
 „dinem *inanem* esse & *superfluam*; longe tamen nos *aliter*
 „censemus esse judicandum. Non id enim *initio* solum
 „agimus, quando de constituendis accurate limitibus illis
 „laboramus, ut ne nihil *superflui*, quodque ad alienum
 „potius forum pertinebat, præter rem, in eamque scien-
 „tiarum illarum, in easdem intrudatur, verum id etiam
 „potissimum simul intendimus, ut ne quid illorum, quæ
 „ad objectum alicujus scientiæ rite, & pro dignitate sua,
 „pertractandum omnino requirebantur, temere in eadem
 „omittatur. In utroque enim hic quotidie peccatur, an-
 „cepsque hæreo, utrum cum majori scientiarum detri-
 „mento conjunctum censi debeat. Deinde vero & illud
 „probe notandum est, *non eodem* omnino redire, quo quid-
 „vis loco in disciplinis philosophicis pertractetur. Sunt sin-
 „gulis enim disciplinis philosophicis *propria* sua & quasi do-
 „mestica principia; sunt singulis quoque *argumenta* & *objecta*
 „sua peculiariora, & ab aliarum scientiarum objectis plane
 „separata; sunt tandem singulis *proprii*, & peculiariores, sui
 „objectorum illorum inter se nexus. Num parum vero
 „refert resque eodem redit, sive dogma aliquod ex pro-
 „priis suis *domesticisque*, an ex *alienis*, deducatur principiis?
 „sive in *connexione* cum *homogeneis* pertractetur argumen-
 „tis, quæ lucem ipsi debitam affundunt; an extra omnem
 „cum illis omnibus, ex quibus intelligi longe facilius po-
 „terat *nexum*? sive tandem *antecedentia* cum *consequentibus*
 „cohe-

„cohereant, hisque sua concludendi *fundamenta* sufficiant,
 „plenamque sic & *justam* rei alicujus *ideam* forment; an ut
 „lacera unius ejusdemque corporis membra passim *dispersa*
 „iaceant, vixque originem suam referant? Certe ubi
 „principia seunguntur a conclusionibus suis proximis,
 „proximæque conclusiones a suis principiis, ubi, quæ ad
 „completam rei alicujus notionem formandam faciunt, vel
 „in particulas passim dispersas, discerpuntur, vel alienis
 „eo non pertinentibus interpolantur; ibi omnis omnino
 „rerum illarum & *evidentia*, & *certitudo*, & *nexus* exspi-
 „rant inque meras omnia *opiniones*, parum vel nihil etiam
 „scientiam nostram juvantes abeunt, tandemque omnia
 „*superficiarie*, nihil *solide*, vel cognoscitur, vel cognosci
 „etiam potest. Annon satis vero errorum, fictionum, &
 „diffensionum, hætenus in philosophia fuit, ut de mede-
 „la, ipsis opponenda, fontibusque tot malorum successive
 „obstruendis, serio tandem cogitare necesse sit? Esse vero
 „illum ipsum quem hic indicamus, unum ex *precipuis* illis,
 „vel mediocri adhibita attentione rerum intelligentes faci-
 „le perspicient; adeoque nec ceteri, cur diligentiam no-
 „stram hic reprehendant, re satis perspecta habebunt.

Hæc quas in medium protuli rationes generales, suffi-
 cere possent ad refutanda ea quæ contra utilitatem argu-
 menti nostri proferri solent. Sed nec speciales desunt
 quæ eandem magis demonstrare valent. Et id quidem
 statim monendum est omnes fere *quotquot de rebus ad phi-*
losophiam practicam spectantibus scripserunt, in definiendis
scientiarum quas hæc philosophia pars comprehendit limitibus,
multum inter se differre, ita ut notabilis hic dissensus, quem-
libet facile monere possit, ut quænam ex omnibus illis &
diversissimis sententiis optima sit meditatione assequi stu-

deat. Deinceps id præcipue attentionem meretur quod ea que de officiis erga nosmet ipsos, pariter ac de officiis erga alios imperfectis agit doctrina, a nonnullis erepta ex ea qua de obligatione naturali agit disciplina in philosophiam moralem detradatur. Quo facto non id solum nascitur incommodum ut in philosophia morali res quædam tradendæ sint ad eandem plane non pertinentes, cum hæc virtute præditum reddere debeat hominem, non quid bonum & malum sit docere, verum etiam aliud hoc ipso longe majus, multoque deterius exsurgit. Dum enim docere solent officia erga nosmet ipsos v. g. vitæ & religionis conservationem, sanitatis tuendæ studium &c. nec non officia erga alios imperfecta v. g. gratum animum benefactori exhibendum misericordiam, amorem erga inimicos, & quæ sunt reliqua, talia esse quæ ius naturæ ignorat, facile alios commovere valent, ut istiusmodi actiones salvo omni jure omitti posse putent, licet id non semper ex instituto ab iis qui minus recte sic distinguunt, admittatur. Exempla profecto non desunt eorum qui Autocheiriam, ut quædam tantum ex multis specimina afferam, hanc ob causam licere contendunt, quoniam iuri perfecto non repugnat, vel ad religionem nullam natura dari obligationem quia religionem negligens officia erga alios perfecta non statim violat. Sed gravior his omnibus exstat ratio quæ, ut de definiendis iustis harum disciplinarum limitibus solliciti sumus, iubet magis quam hortatur. *Illi scilicet qui eam qua de officiis erga DEUM erga nosmetipsos, & de officiis erga alios imperfectis in philosophia morali tradunt, doctrinam, id quod maximum & exoptatissimum foret negligunt, expositionem scilicet remediorum que fortes nos reddunt ad ea agenda que officiorum ratio postulat. Hinc factum ut a nemine forsitan hætenus systema philosophiæ*

phiæ moralis conditum sit omnibus numeris absolutum, sed omnia fere manca sint & mutila dum levius illud argumentum de eo quod nobis aliisque ex amore *debemus* longa oratione persequuntur & longe graviozem illam quæstionem quibus demum *auxiliis id effici possit* intactam relinquunt. Et quam diu hoc ne observari quidem solet, nulla etiam præstantissimæ huius scientiæ expectanda est emendatio, quam utique non expectare solum, verum etiam sperare liceret, dummodo plures sint qui ad hunc nævum animum advertere velint. Tandem & eam præcipue ob causam utilis est hæc partium philosophiæ practicæ distinctio, quoniam *sepe factum est ut qui Politicam tradere voluerunt, vel ius sociale, vel iuris publici universalis capita quædam exposuerint*, a quibus tamen disciplinis tanquam ad ius naturale omnino spectantibus doctrina quæ de prudentia agit omnino distinguenda est. Et his rationibus suffultus ad ipsam tractationem hanc propius accedens, haud amplius habeo quod metuam, æquos rerum æstimatores talem hanc iudicatueros esse quæ omni utilitate plane destituta sit, sed hos potius de commodis hinc expectandis satis convictos esse non tam spero quam confido. *Priorem* igitur huius meditationis qua argumentum illud *speciali cura quoad philosophiam practicam* pertractatur, quod Cel. Holmannus in dissertationibus supra citatis quoad *omnem philosophiam generatim* exposuit, iam sisto *partem*. Qua quidem quid novi præstitum sit, quidue attentione haud indignum lectoris iudicio relinquendum est. Hanc *posterior* statim excipiet, aliorum hac de re sententias exponens & quæ nostræ repugnant refellens, dummodo alia quædam negotia proxime expedienda id permittant.



§. I.



quod recte monuit CICERO *de off. L. I.* omnem
que a ratione suscipitur de re aliqua institu-
tionem, debere a definitione proficisci: ut in-
telligatur quid sit id de quo disputatur, id mihi
hoc loco ante omnia notandum est. Ea

enim qua philosophiam definire solent no-
tio, non ita comparata est ut omnibus prorsus una eademque
sit, sed vel hic in diversissimas sententias abire solent. Qua-
propter, eas ante omnia philosophiæ ejusque partium notiones quæ
ad intelligenda sequentia aut necessariae aut apprime saltem
utiles sint, præmittam. Philosophiam scilicet eam voco scien-
tiam quæ, ex universalibus rerum notionibus, nexus earundem, affectio-
nes, atque relationes, adeoque singula prædicata colligit. Scientiam
illam

illam appellantes nihil aliud intelligimus, nisi cognitionem certis & indubitatis principiis superstructam, legitimaque ratiociniorum inter se connexorum serie stabilitam. Ex universalibus autem notionibus philosophum dogmata sua haurire iubemus, eum potissimum in finem ut eius conamina, ab eorum studiis qui elegantioribus quas vocant litteris operam navant, recte distinguantur. Ea nimirum harum litterarum ratio est, ut pulchram gratam atque suavem nobis sistant veritatem, id quod exempla artis oratoriae, poeseos, pictoriae, statuariae, eiusque quae circa pulchritudinem aedificiorum versatur satis commonstrare valent. Pulchritudinis autem perceptio tum demum oritur, si perfectionem quandam sensitiva cognitione nobis representamus. Quare cum quicquid sensitive cognoscitur id ita cognoscatur prout vel organa nostra afficiat vel afficere saltim videatur, & hinc singulare sit, (cum singularibus tantum, non universalibus utpote citra mentis operationem non existentibus, actio tribui possit) veritates universales ad aliud sane scientiarum genus referantur necesse est. Nulli autem profecto maiori iure adnumerari possunt, quam illi quod omnia ad certitudinem pariter atque ad usum vitae amplissimum latissimeque patentem revocare studet, hoc est philosophia. Ex his vero facile intelligitur philosophiam, a reliquis disciplinis, scientiis, & artibus, non tam *eo quod in illis pertractatur & obiectum* vocari solet, quam *cognoscendi ratione* differre. Una enim eademque res & philosophice & alia quadam ratione ostendi atque exhiberi potest. Philosophice, si praemissa universali eius notione, quae definitione logica continetur, quicquid eiusmodi rei conveniat aut non conveniat disquiritur, ita ut non habito ornatus aut pulchritudinis re-

B

spectu

spectu ad solidam tantum, distinctam, certamque cognitionem
 omnia referantur. Alia autem ratione, si secundum poëseos,
 oratoria artis aut alterius cuiusdam elegantiorum disciplina-
 rum regulas exponitur, ita quidem ut non vere tantum, sed
 & suaviter & ornate exprimat. Quod quidem facile exem-
 plis illustrari posset instituta comparatione locorum quibus v. g.
 VIRGILIUS, CICERO aliique veritatem moralem poëticae
 aut rethorice pertractant, atque eorum quibus GROTIUS,
 LEIBNITIVS, WOLFIUS aliique eandem veritatem, sed non
 tam ornate quam distincte, non tam ut placeat, quam ut dubi-
 tationis expers fiat, evolutam sistunt, si res tam facilis ulteriori
 illustratione indigeret. Non itaque his diutius immoramur,
 sed id tantum addimus, ex data philosophiae notione mani-
 festum esse, fieri posse, ut quaecunque res philosophice per-
 tractetur cuius notio universalis exhiberi potest. Neque enim
 philosophia tam arctis limitibus circumscripta est, quam iis
 placet qui omnem eius ambitum paucarum illarum quae in
 academiis doceri solent disciplinarum compage contineri sta-
 tuunt, sed omne potius quod fieri & distincta eaque univer-
 sali notione repraesentari potest, comprehendit. Hinc & de
 istiusmodi rebus philosophari possumus, quarum fundamen-
 tum aut ex ratione plane non innotescit, qualia sunt quae ad
 revelationem spectant, aut ab arbitrio saltim hominum pendet.
 Ita v. g. theologus supposita recta conversionis, iustificationis
 aut regenerationis definitione adeoque notione universali,
 iuxta sacri codicis normam formata, ex eadem quae de singu-
 lis harum statuenda sint colligens, philosophice rem theolo-
 gicam pertractat. Ita etiam iuris peritus, supposita vel actio-
 nis cuiusdam, vel servitutis vel contractus notione, secundum
 legis

legis positivæ præscriptum efformata, si attributa atque effecta singula hinc infert, philosophice quæ ad legum scientiam spectant considerat. Et par est ratio reliquorum omnium. Neque, ut quis hoc nimis arroganter dictum esse putet, metuendum censemus, quod philosophiam ad omnia fere quæ cognosci possunt extendere placeat. Id enim, si conatum spectes studiumque, haud reiiciendum est, si eventum, ipsa hominum cognoscendi facultate perquam limitata fieri non posse, apparet. Liceat saltem progredi in cognitione veritatis philosophica quousque facultas datur, qua deficiente ipsa necessitas ut gradum quilibet sistat sua sponte efficiet.

§. II.

In exponenda philosophiæ notione longiuscula fuit tractatio nostra, ita tamen ut in iis quæ iam sequuntur brevior esse queat. Omnia quippe, id enim iam expendendum est, omnia quæ sub cognitionem philosophicam cadunt, vel ita comparata sunt ut ad actiones hominum morales i. e. quæ, quatenus libertate instructus est homo, suscipere potest, referri possint, vel non. *Circa illa versatur philosophia quam practicam* vocant, quæ est scientia de actionibus humanis seu morali-
bus ad obtinendam felicitatem dirigendis. Circa hæc autem theoretica omnis philosophia. Hanc quidem distinctionem eatenus admittimus, quatenus usu recepta & solita loquendi ratione iam comprobata est, ita quidem ut philosophiam practicam κατ' ἐξοχήν ita nominemus, quoniam praxis ea quam docet optima omnium est, ad veram felicitatem proximam viam pandens. Id enim facile concedimus esse etiam singulis reliquarum scientiarum suam cuique exercitationem, neque



in mera speculatione aliquam earum consistere, alias enim eam ut omni usu destitutam reiiciendam esse censeremus. Ita *Logica*, in vita communi quotidie exercetur aut exercenda saltem est, *Physica* in rebus quæ vel civitatem vel usum œconomicum vel medicum vel alium quemcunque spectant. Imo ipsa quæ a quotidiano vitæ usu quam maxime remota esse videtur *Metaphysica* sublimis & egregia disciplina, nihilo tamen secius in omni vita maximum præstat usum, dum v. c. & ad superstitionem arcendam, & ad nostri ipsius, mundi, animæ, Numinis denique cognitionem, manu quasi nos ducit atque comitatur. Et similis reliquarum habitus est. Singulæ enim hæ disciplinæ practicæ omnino sunt. Sed praxin exhibent ab ea, quæ philosophia quam practicam vocamus traditur, diversam, neque tam directe atque immediate ad felicitatem perducunt.

§. III.

Est itaque uti dictum est philosophia practica ea philosophiæ pars quæ de actionibus hominum moralibus agit ad obtinendam felicitatem dirigendis. Is huius scientiæ finis tres alios comprehendit, cum tria sint quæ efficiunt ut homines actiones suas ad felicitatis normam componant, 1) *Cognitionem* boni & mali efficiendam, 2) *remedia* exponenda quorum ope homines omnia felicitatis impedimenta remove & acquisitæ de bono & malo notitiæ convenienter agere valent, 3) *rationem optimam* atque *convenientissimam* bonis actionibus felicitatem promovendi quæ singularem quandam *facilitatem* requirit singulari studio acquirendam. Quilibet horum finium peculiarem efflagitat tractationem, adeoque peculiarem philosophiæ partem

partem constituit. Idem etiam hac ratione patet. Versatur hæc philosophiæ pars circa actiones morales quæ triplici modo considerari possunt. Primo scilicet quoad *qualitatem* cum vel *bonæ* vel *malæ*, vel honestæ vel turpes, vel iustæ vel iniustæ sint. Deinceps quoad *ipsum actum* quatenus homo *viribus* instructus esse debet explendo officio sufficientibus. Tandem & quoad *modum* agendi, cum vel debita circumspectione adeoque *prudenter*, vel absque adhibita eiusmodi cautione adeoque minus prudenter peragantur. *Prima* igitur philosophiæ practicæ pars est, cuius ope bonum a malo distinguitur, quæ responderet ad quæstionem quænam actio moralis bona, honesta, iusta, quænam mala, turpis, iniusta sit. Hæc vocatur *Jus Naturæ*. *Alteræ* autem remedia exponit quibus vires hominum augentur & homines ad bonum agendum atque ad quodlibet felicitatis impedimentum superandum habiles efficiuntur, & *philosophiæ moralis* aut *ethicæ philosophicæ* nomen sibi vindicat, si utrumque scilicet vocabulum in strictiori significatione sumitur, quod latius sumtum omnem philosophiam practicam denotare solet. *Ultima* demum docet prudentiam quoad actiones nostras adhibendam, quæ utique ad consequendam felicitatem multum confert, & *doctrina prudentiæ* appellari possit quatenus in toto suo ambitu sumitur, quatenus autem eas tradit prudentiæ regulas, quæ in rite constituenda & administranda civitate adhibendæ sunt *Politica* appellatur.

§. IV.

Hæc generatim iam exposita ulterius paulo consideranda sunt, ita ut ad singulas hasce Philosophiæ practicæ partes curatius attendamus. Et primo quod ad notionem *Juris naturalis*

B 3

attinet,

attinet, ante omnia quid hoc loco tam *iuris* quam *naturæ* vocabulo exprimatur, commonstrandum est. Non autem id nunc agimus ut omnes quæ vocabulo *iuris* subiiciuntur potestates hic exponamus, cum ab aliis hoc satis ostensum sit, neque nostro inserviat instituto. Sufficiat potius monuisse *ius* hoc loco esse scientiam de legibus earumque ad facta hominum applicatione. Hoc enim sensu accipi solet quoties ad iurisprudentiam aut quandam saltem eius partem denotandam adhibetur. Naturam autem ipsam notionem & essentiam vocamus. Hinc *Jus Naturæ* scientiam definimus de legibus earumque applicatione ad facta ex ipsa rerum notione & essentia hauriendam. Atque cum philosophica scientia ita comparata sit, ut ex rerum connexionibus quæ per earum connexiones fieri possunt deducere studeat, (§. 1.) *Jus Naturæ Jurisprudentia philosophica* merito appellatur. Ex hac notione iuris naturalis haud difficulter intelligitur, duplex esse caput eiusdem, alterum scilicet de legibus, alterum de earundem ad facta applicatione. Prius quia ad institutum nostrum propius spectat, paulo plus expendendum est. Et hoc quidem capite de *legibus* agi dicentes, nil aliud hac voce comprehendimus, nisi obligatoriam quancunque enunciationem, seu regulam cui ut convenienter agant, homines moraliter obligantur. Oritur autem obligatio ex motivis cum actione connexis, vel per naturam vel per voluntatem alicuius. Posterior *positivam* quam vocant *obligationem* constituit, seu *arbitrariam*, de qua iam non sermo est, prior *naturalem*, & hæc si enunciatione effertur *lex naturalis* vocatur. Ubicunque igitur obligatio naturalis, ibi *lex naturalis* cogitari potest. Et cum omnis *lex naturæ* ad *ius naturæ* spectet, de quacunque obligatione in iure naturali agendum est. Hinc etiam efficitur in Jure naturali omne *ius* considerandum

dum esse quatenus hac voce facultatem denotamus id peragendi quod obligationibus non repugnat. Quæ quidem omnia licet ex notionibus expositis prono quasi alveo dimanare videantur, tamen haud paucis bilem movere potuerunt, qui *obligationem perfectam* ab *imperfecta* & *ius perfectum* ab *imperfecto* distinguentes, omne ius imperfectum a iure naturali procul abesse iubent, pariter ac imperfectam omnem obligationem. Quod quo iure fiat quæve iniuria nunc diiudicandum, & hunc in finem quid sibi velit illa distinctio significandum est. Omne nimirum ius ex obligatione ortum trahere recte dici potest, quatenus vel urgente obligationis necessitate ad aliquid peragendum adstringimur, vel saltim nulla obligatione actionem illam suscipere prohibemur. Talis autem obligatio ex qua ius oritur, vel nos impellit ut alteri aliquid præstemus, vel non. *Priorem*, quoniam ad alterum quendam refertur, *relativam* haud inconcinne dixeris *obligationem*, *posteriorem absolutam*. Hinc & *ius* ex illa ortum trahens *relativum* commode vocatur, quod ex hac exsurgit *absolutum*. Ut obligationi quam *relativam* vocavimus convenienter vivamus vel alter cui obligati sumus nos iure cogere potest, vel non. In priori casu *perfecta* in posteriori *imperfecta* vocatur *obligatio*, & ius quod ex illa nascitur *perfectum* quod ex hac *imperfectum* appellatur. Hac enim ratione accurate hic distingui censemus, cum obligatio quam absolutam vocamus alteri nullum ius tribuat a nobis aliquid postulandi, id quod ex ipsa eius notione patet, atque ita neque perfectum neque imperfectum ius producere valeat. Ita v. g. ad sanitatem conservandam, ad omne vitæ periculum evitandum, ad cognitionem boni & mali amplificandam, &c. obligatione non nisi absoluta tenemur. Atque ius hinc exsurgens minus recte perfectum aut imperfectum vocatur, cum utrumque ho-

rum

rum id involvat ut aliquid ab altero postulare possimus, quod vero in hisce casibus locum non obtinet. Quapropter potius absoluti iuris nomine illud indicandum esse censemus. Ita porro ut neminem lædamus, pacta servemus damnum datum reparemus, *relativa* eaque *perfecta* obligatione tenemur, & ius quod alteri cui obligamur oritur *perfectum* est. Ita tandem ad beneficia aliis exhibenda, accepta grato animo colenda, consilia deliberantibus fidelia haud deneganda, &c. *imperfecte* tantum obligamur atque singula hæc non nisi *iure imperfecto* a nobis postulari possunt. Hæc omnia dudum nota, & si unicam illam iuris absoluti a perfecto imperfecto distinctionem, que non omnibus arridet, excipias extra omnem etiam dubitationis aleam posita sunt. Ut tamen quæ mihi hac de re videantur exponerem, propter ea quæ iam sequuntur necessarium iudicavi. In illud vero inquirendum nunc est, an solum *ius perfectum* in iure naturali pertractari debeat, (quæ quorundam est sententia) ita ut omnis de iure vel imperfecto vel absoluto tractatio, seclusa a legum naturalium doctrina, ad solam referenda sit philosophiam moralem? Nos equidem negandam esse censemus hanc quæstionem, rationibus commoti quæ sequuntur. Quæcunque veritates ad unum eundemque finem proxime tendunt, atque tam cum hocce fine quam inter se ærtissime coherent, illæ sine dubio in una eademque scientia pertractandæ sunt. Verissimum enim & ipsa meridiana luce clarius esse, quod omnis scientia veritates tradere debeat ærtissimo nexu sibi invicem iunctas, facile patet. Sed quis non videt cognitionem tam eius ad quod perfecta quam ad quod non perfecta obligatione tenemur, adeoque quod & iure perfecto & non perfecto a nobis postulari potest, ad id proxime spectare ut bonum a malo faciendæ a non faciendis recte distinguantur, & proinde

proinde ad unum eundemque finem proxime spectare, atque nexu arctissimo, cohærere? Quare igitur, quæso, quis, veritates tam naturali atque indissolubili vinculo junctas, a se invicem divellere auderet? Singulæ profecto harum ita comparatæ sunt, ut & ad demonstrandas reliquas plurimum faciant, singulæ perfectæ atque imperfectæ obligationes tanquam oppositæ juxta se positæ magis illucescunt. Et has quidem non in una eademque sed in diversis scientiis pertractare, idem certe est quod fieret, si vel ex numerorum scientia certum quoddam caput v. g. de extractione radicum, e medio quasi divellere, atque in aliam quandam matheseos partem transferre quis velleret, vel in Geometria doctrinam tantum de linearum atque solidorum quantitate pertractaret, eam autem quæ de figuris planis agit, seorsim & a reliquis seiunctam in alia mathematicum parte traderet. Idem enim nexus qui hisce intercedit, illis etiam competit quæ ad obligationem perfectam atque imperfectam spectant. Et ut in arithmetica omnia quæ ad numerorum symptomata pertinent, in geometria quæ ad quantitatem spatii determinandam spectant, evolvenda sunt atque expedienda, ita & in jure naturali, tanquam ea philosophiæ practicæ parte quæ quid faciendum quid omittendum sit docere debet, omne officiorum genus expendendum est, atque ita non tantum de perfectis verum etiam de imperfectis obligationibus agendum. Neque id aliquam difficultatem creare potest, quod regerere solent defensores oppositæ sententiæ. Magnum quippe inter perfectam imperfectamque obligationem discrimen esse, pariter ac inter jura perfecta & imperfecta. Confusionem igitur metuendam esse, si in una eademque scientia singula hæc doce-

C

rentur.

rentur. Fieri facillime posse, ut, si minus recte distinguantur, ea perfecti juris instar habeantur quæ tantum absque omni jure cogendi ab altero postulare possumus. Hinc melius esse ut quæ ad jus perfectum spectant in Jure Naturali, reliqua in philosophia morali exponantur. Hæc enim non tam metuenda sunt ut sibi persuadere solent. Verum quidem est, hæc omnia probe distinguenda, & quale illud jus sit quo quis adversus alterum uti potest sollicitè expendendum esse, atque an vi metuque illum ad id quod ipsi debet præstandum cogere possit, an minus. Sed verum etiam est hæc rectè distingui sollicitèque expendi posse, licet in una eademque scientia pertractentur, cum utrumque officiorum genus non ut in uno eodemque capite exponatur necesse sit, sed in diversis ejusdem scientiæ capitibus pertractari & hinc accuratissime distingui possit, aut si interdum de utroque in uno eodemque capite agendum, tamen id quod jus cogendi tribuit, ab altero illo, addita peculiari observatione satis superque secerni queat. Et, quare in aliis scientiis talis non oritur confusio, si plura unius ejusdemque sunt capita, si v. g. in Arithmetica & de integris & de fractis, & de calculo proportionum & de extractione radicum agitur, si in geometria tam de lineis & planis quam de solidis doctrina traditur? Quis enim unquam fuit cui de confusione singulorum horum juste conquerendi occasio data fuerit? Quis non intelligit suas cuique doctrinæ esse regulas, sua cuique principia, quæ eam solummodo ob causam quia iisdem ex fontibus proxime fluunt & ad eundem scopum proxime tendunt, perpetuo nexu tradi solent? Atqui cum hæc in aliis scientiis inter se non confundantur, quare in jure naturali talis metuenda esset confusio, cum dato seu exposito quolibet jure,
an

an illud jus alterum ut nobis aliquid præster cogendi annexum habeat, an minus, inquiri & possit & debeat. Ita enim, licet omne juris genus in Juris Naturalis scientia pertractetur, optime tamen hæc omnia distinguuntur. Et ita nostra quoque de eo quod in Jure naturali pertractandum est sententia facile intelligi potest. Cum enim hæc scientia sit de legibus naturalibus, leges autem sint actionum normæ, & actiones legibus conformandæ officia appellentur, patet, omnia officia ex natura cognoscenda in jure naturali pertractanda esse. Sic enim quæ facienda & omittenda sunt innotescunt. Sic bonum a malo, justum ab injusto, æquum ab iniquo, probe discernitur, id quod finem primarium hujus scientiæ esse in antecedentibus ostendi. Hinc & de officiis erga DEUM & de iis quæ nobismetipsis, & quæ aliis tam perfecta quam non perfecta obligatione debemus, hac scientia agendum est, nisi res a se invicem separare velis tam firmo inter se vinculo coherentes ut non sine adhibita insigni violentia separari possint. Cuius quidem separationis incommoda in limine hujus meditationis iam exposui.

§. V.

Quodsi iam alicui placeat ea quæ §. præcedente ostendimus, cum iis quæ §. III. explicata sunt, conferre, haud difficile erit intellectu, quodnam sit quod differentiam constituat quæ *Jus Naturæ* a *Philosophia morali* discerni queat. Nam cum *illud* quid agendum, quid bonum quid justum, pariter ac quid omittendam, quid turpe, quid injustum sit doceat, hæc in eo potissimum versatur, ut *quibus auxiliis* recta, justa, proba opera peragi, eaque quæ hisce adversantur impediri possint, ostendat. Eam scilicet experimur & mentis nostræ & totius humanæ sortis conditionem, ut sæpissime quæ bona & justa sunt cognoscamus,

mus, & appetitu quodam ad utrumque horum incitemur, atque nihilo tamen fecius insuperabili impedimentorum resistentia ab iisdem arceamur, ita ut licet quam proxime ad definitum scopum accesserimus, eundem tamen attingere in potestate nostra haud positum sit. Hinc qui voluptatibus nimium litare consuevit, licet optime intelligat ingentia sibi inde enasci incommoda, tamen vel ipsarum voluptatum dulcedine captus, vel impellente consuetudine ductus, id sectatur quod noxium sibi esse ipse cognoscit. Hinc qui honori nimium tribuit, quamvis satis edoctus omnem honorem verum in mediocritate quadam consistere, neque ultra limites versari, tamen plus iusto de consequendis honoribus meditatur. Hinc
 mortalia pectora cogit

Auri sacra fames.

Hinc animus ejus qui optimus alioquin civis est, dira vindictæ cupidine excitatus omnia negligere jura, sacra omnia, omnemque religionem spernere audet. Hinc ipsa temperamenti violentia, vel vehementiori sanguinis motu, vel remissiori, animum quasi catenis constrictum sub jugum mittit, ita ut quæ præstantiora multoque meliora intellectus ipsi repræsentat, & quæ ipse ut sibi eveniant cupit, appetit atque efflagitat, ipse tamen sapius aut oblata reiiciat, aut operam saltem illis assequendis, debitam haud impendat. Hinc tritum illud:

Video meliora proboque

Deteriora sequor

verissimum esse, quotidie observamus. Tantum igitur abest ut vel distinctissima quam intellectus humanus de bono & malo acquirere potest notitia, sufficiat ad vires homini largiendas quibus, veluti rupes oceani fluctibus, ita mens hominis

minis malorum illecebris immota resistere queat, ut potius, & eorum qui hac notitia optime imbuti sunt, animos, sæpissime frangi atque superari intelligamus. Hæc enim cognitio, si huic fini obtinendo sola sufficeret, perspicacissimus quilibet moralium doctor, probitate reliquos antecelleret, & clericorum doctissimi pietate palmam reliquis præriperent. Id quod optandum forsitan esset, sed invita quotidiana experientia affirmatur. Quapropter ab iis qui in moralibus disciplinis haud infelici eventu elaborarunt recte observarum esse novimus, distinctam quamvis cognitionem a viva distinguendam esse, cum illa nil nisi rerum attributa & singulos quibus ab aliis discerni possunt characteres exhibeat, hæc autem ita comparata sit, ut voluntatem nostram omnemque appetitum flectere, adeoque ut rationi convenienter agamus nos commovere valeat. Nam prout omnis vita & hominum & animantium ex actionibus cognoscitur, mors ex totali earundem absentia, ita & viva illa cognitio merito appellatur, quæ actionibus efficiendis sufficit, quæ minus, mortua recte nominatur. Ast ut ea quam de bono & malo quis sibi acquisivit cognitio, viva & fiat & facta maneat

hoc opus, hic labor est.

Ea profecto quæ huc spectant remedia non ita comparata sunt ut sua sponte singulis pareant, sed non sine profunda meditatione, aut attentione saltem, maximeque serâ consideratione, cognoscuntur. Quare, quodsi unquam res quædam eruditorum sollicita disquisitione digna videri potuit, si argumentum quoddam & gravitate & utilitate sua se commendans peculiari quadam scientia pertractandum fuit, hæc res, hoc argumentum, optimo sane jure id sibi vindicare potest. Exsurgit itaque scientiarum

tiarum philosophicarum, nisi optima, nulli certe reliquarum
 secunda, qua omnia illa remedia quibus instructus homo ad
 bonum cujus notitiam ex jure naturali hausit peragendum ido-
 neus efficitur, & malorum incitamentis fortiter resistere valer,
 explicantur, & qua ratione illorum participes fieri possimus
 ostenditur. Hæc *Ethica* est s. *philosophia moralis* in strictiori signi-
 ficatione. Conf. §. III. Cum enim *Ethica* omnium consensu ad
 virtutem ducat, hæc autem ipsa virtus nil aliud sit nisi habi-
 tus legibus convenienter agendi, seu quod idem est interna fa-
 cilitas bonum continue efficiendi, malumque evitandi, non
 natura data sed studio & industria parta, facillime inde colligi
 potest rectos hos esse limites quos constituimus huic scientiæ,
 neque ultra hunc finem in eadem progrediendum esse. Ver-
 satur itaque *philosophia moralis* in evolvendis omnibus reme-
 diis quibus viribus hominum majus ad bonas actiones perpe-
 trandas robor accedit, in recensendis omnibus virtutis impe-
 dimentis, in indagandis denique remediis quibus singula hæc
 impedimenta irrita atque frustranea effici possunt. Quare v.g.
 temperamenta, propensiones animi, compescendi pariter at-
 que interdum excitandi animi motus, habitus in bono acqui-
 rendus, & alia similia ad *philosophiam moralem* spectant, &
 in eadem explicari debent. Omnis autem de officiis doctrina
 exulet ex eadem, atque tamquam aliunde satis cognita & de-
 monstrata assumatur. Cum enim (§. IV.) *Jus Naturale* in eo
 occupatum sit ut bonum a malo, faciendum ab omittendo, di-
 stinguat, officia autem facienda sint, (§. cit.) omne officium qua-
 tale in jure naturali expendendum, in *philosophia* autem mo-
 rali remedia tantum expletioni officiorum inservientia demon-
 stranda atque recensenda, atque non generatim solummodo, ve-
 rum etiam speciatim quoad omnes officiorum species de iis
 agendum esse facile patet. Ita v.g. *Jus Natura* docet: ab alieno
 abstinendum, vindictæ cupidinem evitandam, hostibus etiam
 fidem habendam esse. Sed ea quæ animum viribus instruunt
 hisce officiis peragendis sufficientibus, remedia, quæ impe-
 diunt quo minus aut spe lucri, aut aliorum denique commodo-
 rum

rum blanditiis in contrariam quis partem abeat, in philosophia morali docenda sunt. Et quamvis ita nemo hactenus pertractaverit philosophiam moralem, ne ii quidem qui alioquin in discernendis harum disciplinarum limitibus accuratissimi fuerunt, expositis tamen ex principiis rite consequitur, hanc esse justam eandem pertractandi rationem, atque simul intelligitur messem in hac scientia tantam hactenus non fuisse, ut insigne aliquod spicilegium iis relictum non sit, quibus magis curæ cordique est qua ratione bonum agere *possimus*, quam quod bonum agere *debeamus*, docere. De his autem in præfenti ulterius differere finis propositus non permittit.

§. VI.

Restat adhuc scientiarum moralium, seu philosophiæ practicæ *tertia pars*, ea scilicet quæ quomodo quicquid agendum, *prudenter* agendum, docet. Sunt enim experientia teste, multi quibus neque distinctæ boni malique notitiæ laus, neque ipsius virtutis gloria deneganda est, & qui nihilo secius ex defectu prudentiæ, sibi aliisve multa incommoda procreant. Sunt qui neminem lædentes, pacta servantes, aliis beneficientes honeste viventes, haud tamen ea semper circumspectione agunt qua iis agendum est qui omnia etiam minima incommoda evitare cupiunt. Non enim unum prorsus idemque est qua ratione officiis convenienter agamus, sed de ratione etiam optima & convenientissima dispiciendum est. Et cum fieri possit ut improvisa quædam occurrant, opus est ut hæc sive fini consentanea sint, sive eidem advenferunt, in rem vertantur præsentem. Hoc autem ea quæ de *prudentiâ* agit *doctrina*, exponat necesse est, cum hæc nihil aliud sit nisi scientia de recta & optima applicatione remediorum fini bono obtinendo inservientium. Nam per prudentiam nil aliud intelligitur nisi habitus recte applicandorum horum remediorum, quippe quæ, in eo quod pro circumstantiarum ratione optimum est, ab eo quod minus bonum est distinguendo, operam suam collocat, pariter ac in facilitate illa ex singulis improvisis commodis omnem

omnem, absque multa & difficili consultatione, quæ inde haurienda est, utilitatem capiendi, atque id etiam efficiendi ut impedimenta improvisa negotium suscipiendum irritum reddere nequeant. Differt nimirum prudentia a sapientia, seu habitu eligendi media ad finem bonum obtinendum, ut theoria a praxi. Sapientia enim disquirat quænam remedia sint optima, prudentia ad actum ducit, illa intellectum instruit, hæc tam cognoscendi quam apperendi facultatem dirigit. Quæ quidem prudentiæ notio optime exemplis summorum belli ducum illustratur, qui, sapienter a principe ejusque in regimine administris decreta, prudenter conficiunt. Omnem igitur prudentiam hæc tertia philosophiæ practiciæ pars ambitu suo comprehendat, non eam tantum quæ civilis est, sed & eam quæ a parentibus, a conjugibus, a liberis, ab ecclesia, a quavis denique societate adhibenda est. Ast quia ea tamen præcipua est prudentia, quæ versatur circa constituendam & administrandam civitatem, & is qui ea novit quæ ad hanc prudenter regendam spectant, non possit non & ea intelligere, quæ vel ad familiam, vel ad aliam, quamcunque societatem minorem regendam, vel ad proprias actiones prudenter componendas spectant, factum est ut quamplurimi qui in hoc stadio desudarunt in tertia hac parte prudentiam tantum civilem pertractaverint. Et hinc Politicæ nomen ortum est, quod civilem indicet philosophiam. Ita etiam hæc pars, tam a jure naturali, quam a philosophia morali commode & accurate distinguitur, cum prius officia exponat, altera remedia tradat robur largientia ad expletionem officiorum requisitum, hæc demum de qua jam sermo est prudentiæ regulas comprehendat, sive omnes, sive eas saltim quæ regendæ civitati inserviunt. Ita singulæ harum rite inter se invicem distinguuntur, dum ea quæ ad unum eundemque scopum spectant, quæ ex communi fonte promanant, & indivulso nexu inter se cohærent, in una eademque scientia explicantur.



COROL-

COROLLARIA.

I.

Non omnis societas consensu constituitur.

II.

Societas inter homines despotica non datur.

III.

Menti humane facilior est cognitio qua DEVM infinitum, quam qua semetipsam finitam cognoscit.

IV.

Nulla, ne minima quidem actio in foro naturali pena aut premio prorsus caret.

V.

Datur obligatio naturalis ad observandum decorum arbitrarium, non imperfecta solum, sed & quaedam perfecta.

VI.

Ex consensu moraliter impossibili jus & obligatio oriri possunt.

VII.

Iustitia saepe jubet ut majori. saepe etiam ut minori quam meretur, pena, reus afficiatur.

VIII.

Affectibus homo penitus liberari nec potest, nec debet.

IX.

Falsa est, & saluti generis humani noxia opinio, qua omnem eruditionem, vel theologicam, vel juridicam, vel medicam esse contendit, omnesque litterarum cultores academicis praelectionibus non instructos eruditorum nomine indignos esse statuit.

X.

Cultum Numinis, non internum solum, verum etiam externum, imo publicum quendam necessarium esse, ipsa sana ratio docet.

XI.

Jus Vitae & Necis nemini competit nisi ob plenariam securitatem remedio quodam leniori non efficiendam.

XII.

Doctrina de interpretatione non ad solum jus positivum, sed ad jus etiam naturale spectat.

D



PRÆNOBILISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

PRÆSES.

Laudabilis illa qua litterarum studia prosequi contendis industria, quam, Te auditore utens recitationum mearum philosophicarum, optime cognovi, atque qua omnium qui Te norunt assensum promeruisti, & mihi Te gratissimum reddidit. Cum id Tibi maxime cura cordique sit, ut scientiarum qua flagras cupiditati satisfiat, atque felici etiam ingenio natura ornatus sis, facile sperare licet, fore ut talem nunquam non Te præstes qualem eruditionis laudes omnibus commendant. Atque hæc Tua quidem quæ circa eruditionem versantur studia, cum, vitæ morumque & probitate & elegantia indes magis ornare studeas magisque condecorare, fieri non potest, quin, quam bene de Te concepimus opinio, multum augeatur. Jam in eo es ut eruditionis, ingenii, vitæque academicæ bene actæ, specimen publicum edas, oblato Tibi a me Respondentis, munere fungens, cujus instituti eventum honorificum Tibi fore, prævideo. Qua propter & de novo hoc honore & de singulis quæ Tibi sunt prærogativis ex animo Tibi gratulor. Faxit supremum Numen ut prospera semper valetudine utens in eo quo cœpisti tramite non persistas solum, verum etiam ulterius progrediaris. Ita patria Tuæ, propinquis, amicis, de cive bono, cognato honorem Familiæ augente, amico doctrinæ & morum præstantia conspicuo, latari & licet & licebit. Vale. Dabam Kiliæ die XVII Februar. MDCCLXIV.

VIROP RÆNOBILISSIMO, RESPONDENTI ORNATISSIMO,
AMICO SVO INTER PAUCOS DILECTISSIMO

JACOBO PODWISOZKI

S. P. D.

JOANNES HENRICVS LINDELOF, L.L.C.

OPPONENS.

Non possum non egregie gaudere, quum nunc mihi, iam diu exoptata obvenit occasio, gratam TIBI declarandi mentem. Specimen eruditionis TVÆ, quod iam nunc publice dabis, doctorum laudem

laudem & sapientum applausum, & quidem iure meretur, si verum est quod aiunt ardorem se dignum patriae civem praestare, & contentiorem pernicem, qua nos optimis dedimus studiis, laude dignum esse. Permulta iam sunt quae a TE accipi amicitiae haud fucatae specimina, & nunc iterum magnum accedit propensum in me animi documentum, quum in publico TVO certamine, me numero eorum adiungere TIBI placuit, qui aliter quam TV sentiunt. Virtus TVA, & necessitas, quae huc usque inter nos valuit, hoc mihi delatum munus, accipere suadent. Gratulor TIBI de gloria, quam ex hocce intercepto percipies. Gratulor civibus TVIS, qui confidere possunt, TE talem evasurum, qualem TE cognitum sperarunt. Gratulor denique mihi de amico, quo nihil supra. Quod reliquum est, nihil magis in votis habeo, quam ut mihi amicitia TVA in perpetuum perfrui liceat. Vale, meque si mereor amare perge. Dabam Kiliae die XVIII. Febr. MDCCCLXIV.

A MONSIEUR LE REpondant DE CETTE DISSERTATION
MONSIEUR,

Il faut avouer, qu' il y a autant de gloire que de plaisir d' être adonné aux sciences. Vous savez très bien, Monsieur, les agremens, qu' elles ont, Vous, qui faites tous Vos efforts pour parvenir à ce degré de perfection, qui est le but de ceux, qui les aiment. Mais la gloire, que Vous recueillerez aujourd' hui en recompense de Votre diligence & de Votre application, me rend si content & si satisfait, que je ne saurais Vous exprimer qu' une partie de la joye, qui m' en revient. Votre bonté m' a choisi parmi d' autres plus capables que moi, pour Vous faire des objections contre la dissertation, que Vous allés defendre avec honneur. Je ne l' ai accepté, que pour être témoin de Votre sagesse & de Vos merites. J' entens déjà les louanges, qu' on Vous fera de toute part, & que l' on ne peut refuser sans injustice à Votre sçavoir. C' est par cette raison, que je prens la liberté de Vous en feliciter très- humblement. J' espere, que cet empressement ne Vous sera pas desagréable de la part d' une personne, qui Vous estime & Vous chérit infiniment. Je suis

MONSIEUR

à Kiel
le 18 Fevrier
l' an 1764.

Votre très-humble Serviteur

& fidel ami

GEORGE ALBERT BECKER.

A MON-

A MONSIEUR LE SOUTENANT
DE CETTE DISSERTATION.

MONSIEUR,

trés-cher Ami,

Je fai la passion

Que Vous avés toujours pour l'erudition;
Je connois votre coeur qui depuis sa jeunesse
Estimoit la vertu, n'aimoit que la sagesse:
Un coeur qui ne se plait qu'à ces beaux mouvemens,
Se fraye le chemin aux honneurs de nos tems.
Jugés donc de ma joye & de vos avantages,
Quand Vous allés monter sur les degrés des Sages;
Jugés de mes transports, Cher Ami, cet exploit
Vous rendra plus aimable à chacun qui le voit.
Je vois vos argumens remporter la victoire,
Et Vous quitter la chaire assés comblé de gloire.
Ce coup d'essai me donne un grand pressentiment
De ce que vaut un jour votre discernement.
Soyés toujours par là connu à la patrie,
Suivi d'un fort heureux ici ou en Russie.

Voila, mon cher Ami, une petite marque
des sentimens de celui qui Vous aime sin-
cerement, & qui sera toujours sans reserve.

Votre
trés-humble Serviteur
& veritable ami,


C. F. WEISE.

RESPONDENTI PRÆNOBILISSIMO SALUTEM

Successu fausto dilecti lætor Amici
Præmia iusta Tuæ sedulitatis habes.

Quo pede cœpisti pergas, sic itur ad astra
Sic decus & nomen lausque perennis erit.

MATTHIAS NICOLAUS KÆUFFELIN
Opp. Hollatus.




ULB Halle
001 601 61X

3



TA-→OL



DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ
DE
DEFINIENDIS IVSTIS PARTIVM
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ
LIMITIBVS

PARS PRIOR
QVAM

D. O. M. A.

SECVNDVM CONSTITUTIONEM
FRIDERICIANAM

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
DIE XVIII FEBR. MDCCLXIV. INSTITVENDO
SVBMITTVNT

P R Æ S E S

WILHELM. ERNESTVS CHRISTIANI

PHIL. D. IVR. NAT. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD. ACAD.
BIBLIOTHECAR. ET PHILOSOPHORVM ORDINIS


H. T. DECANVS

ET

RESPONDENS

JACOBVS PODWISOZKI

VKRANIA RVTHENVS.



KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.